

99 7 219



DE ELEMENTIS
PHYSICÆ AC PHI-
LOSOPHICÆ PRO-
POSITIONES.

Quarum patrocinium,

AUSPICE IEHOVA,

IN ILLVSTRI AC CELE-
berrimâ VVitebergensi Academia,
sinceræ veritatis eruendæ stu-
dio suscipiet

M. CHRISTIANUS HASTÆUS
Rintbelensis.

Respondente

STEPHANO MACROPO
Andreæmontano.

Habebitur Disputatio ad diem 20. Octob.

VVITEBERGAE
Descripta typis M. Simonis Gronenbergij, 1593.

2
or
lo
b
sid
P. g
ust
7
p
an
p
#



REVERENDIS, CLARISSIMIS, PIE-
tatis, eruditionis, omniumq; virtutum
nitore conspicuis viris,

Dn. P E T R O V V I N D R V V I O, Cœnobij
Riddageshusani dignissimo Præsuli;

Nec non

Dn. B A S I L I O S A T L E R O, S S. Theol. Doctori, Aulae Guel-
phicæ Archipresbytero, totiusq; Brunsvicensis Ducatus
Superattendenti generalissimo,

Fautoribus ac Patronis suis summa prom-
pti animi veneratione prosequendis.



*Visquis ad augustam Sophiae connititur arcem,
Et sitit emeriti nomen habere Sophi:
Nescere cunctarum genitalia semina rerum
Hunc decet, & varias orbis ubiq; vices.
Ignis in aethereas volucer cur subuolvet auras,
Cur sedeant imo terra fretumq; loco?
Aër at immistus vasto spiramine mundo
Occupet in mediâ cur regione globum?
Digna Sophores est! Sapientis nomen habere
Dum cupio, similis me ferit artis Amor.
Ad vos sed vento, quorum virtute rigata,
Hos fructus vestris educat arbor agris:
Carpite vos fructus proceres, fœcundaq; plures
Sæpe feret, gelidis si foveatur aquis.
Hæc saltem prima est studij vindemia nostri,
Latior at segetem Postera messe dabit.*


Gratitudinis iure coactus D. D.
S. M. A.



99 7 2 19

THESIS

I.

 Mnia quæ nostris passim sensibus in hoc sub-
lunari globo uspiam obversantur, ea ex pri-
mis quatuor Elementis consurgunt.

II.

Quare jucundum erit ac frugiferum, si quis con-
ditiones Elementorum generales, & naturas insu-
per speciales, disquisitione peculiari diligenter per-
vestigaverit.

III.

Cùm enim principiata à suis dependeant prin-
cipiis; horum quoque cognitio ex ipsis solùm prin-
cipiis efflorescet.

IIII.

Hinc aliorum corporum nullam possumus co-
gnitionem adipisci, nisi Elementa prima primùm
enixiùs perscrutemur.

V.

ELEMENTA igitur sunt corpora simplicia, rea-
li destinata generationi, quæ mutuis suis alterati-
onibus mixta conflant, ac iis se essentialiter simul
intexunt.

VI.

Elementis duas proprietates assignavit Aristo-
teles: Quòd ex his unumquodque mixtum corpus
confletur primùm; & quòd in ipsa ultimò distraha-
tur.

A 2 Nullum

VII.

Nullum enim corpus ortu suo antevertit Elementa: neque mixtum in alia demùm corpora, præterquam Elementa, revolat.

IIX.

Elementorum numerum, ac innatam varietatem, præci Philosophi accurato studio indagârunt, & rationum ac sensuum fulcris innixi, demùm ex obscuris latebris rei veritatem eruerunt.

IX.

Ante Hippocratem verò incertis opinionibus omnes passim hac in re fluctuabant.

X.

Nam Anaxagoras infinita esse Elementa contendebat.

XI.

Democritus & Leucippus omnia ex innumeris atomis conflata arbitrabantur.

XII.

Alij verò unum obtrudere Elementum voluerunt.

XIII.

Thales Milesius existimabat Aquam solam esse commune omnium rerum principium; Anaximanes Aërem; Heraclitus Ignem.

XIV.

Anaximander demùm ex medio quodam corpore, aqua tenuiore, & aëre crassiore, omnia primùm emeruisse putabat.

Horum

XV.

Horum omnium opiniones rejicit Aristot. 7. de
coel. cap. 5.

XVI.

Laus igitur ista assignatur HIPPOCRATI, quòd
is rationes & argumenta primùm conquisiverit, qui-
bus Elementorum numerum demonstraret.

XVII.

Deinde Aristoteles uberius ea expolivit, quæ ab
Hippocrate acceperat.

XVIII.

Quòd autem quatuor diversa sint Elementa, cõ-
munia rerum corporearum principia, id ex sequen-
tibus elicitur argumentis, quæ ab unitate ad qua-
ternarium sensim assurgunt.

XIX.

Primò, unicum non est Elementum ac simplex.

XX.

Ex eo enim nihil dissimile aut diversum potuisset
emergere ac prodire; quòd simplex à seipso nihil per-
ferat.

XXI.

Deinde si ex simplici elemento aliquid prodiisset,
id suo semper in statu perduraret, nec ullam omni-
nò corruptionem incurreret.

XXII.

Quocirca nulla uspiam mutatio animadvertete-
retur.

XXIII.

Huic verò EXPERIENTIA obsistit. Ideoq; uni-

A 3 cum

cum ac simplex Elementum non erit admittendum.

XXIII.

Etsi autem plura sint Elementa; tamen unius similisve rationem haud obtinent.

XXV.

Nisi enim contrariarum qualitatum luctâ inter se confligant ac depugnēt, tum solūm se fovent mutuò; nec ullam actionem intendunt, aut mixtionē perficiunt.

XXVI.

Porrò Duo tantūm non sunt Elementa: Ex horum enim confluxu nobile mixtum nusquā prodit.

XXVII.

Nam si terræ aqua permisceatur, tantūm emergit lutum.

XXVIII.

Cūm verò legumina, arborum fructus, & animantium corpora nobiliorem sint adepta conditionem, ad horum mixtionem alia insuper Elementa necesse est confluxisse.

XXIX.

Quòd autem Tria solūm non sint, sed quatuor Elementa, id hæc evincit ratio.

XXX.

In omni funestâ contrarietate, duo duntaxat sunt Extrema, quæ hostili inter se colluctantur & decertant odio.

XXXI.

Quælibet enim contrarietas duorum Extremorum ambitu coarctata est & obsepta.

In

XXXII.

In Elementis autem duas animadvertimus summas contrarietates : Vna inter Ignem & Aquam : Altera inter Aërem & Terram.

XXXIII.

Ex duplici hac Elementorum contrarietate quatuor Extrema resultant , è quibus Elementorum numerus quadruplex iterum exurgit.

XXXIV.

Quemadmodum verò duo extrema nullo societatis nexu devinciuntur , nisi medium quoddam interveniat : ita duobus seorsim extremis duo sunt interjicienda media , ut ex elementis mixta coalescāt.

XXXV.

Quare elementorum numerus neque quaternarium excedit , neq; eodem est inferior.

XXXVI.

Elementis semper qualitates nativæ insederunt , neque extrinsecus iis obvenerunt ; unde adhuc ceu propria in sede & germano domicilio , in iis etiam commorantur.

XXXVII.

In mixto corpore elementa non potentiâ tantum , sed actu quoq; etiamnum persistunt.

XXXVIII.

Dum enim ex materia coagmentatur materiatum , ea non ut nuda quædam potentia materiato insidet ; sed ut pars quæpiam essentialis.

Quocirca

XXXIX.

Quocirca Elementa in mixtis formas suas penitus non exuunt, neque ipsa omninò intercidunt. Nexu enim mixtionis divulso, pristinum suum statum possunt recuperare.

XL.

Etiamsi verò Elementa naturali dissideant odio: miranda tamen affinitate devinciuntur, & mirabili quodam affectu, etiam diversis contrariisque suis qualitatibus ad essentialem mixtionem conspiciunt, & mutuò coalescunt.

XLI.

Quæ Elementis nativa vis est conferta, ea aliunde ipsis non obtigit, quàm ex nutu & arbitrio Creatoris.

XLII.

Ex Elementis Elementa non emergunt, neque alterum in alterius naturam demutatur.

XLIII.

Quare explodenda est opinio, quæ de Elementorum metamorphosi, ac essentiali transmutatione passim percrebuit.

XLIV.

Aqua enim nusquam commigrat in aërem: neque aër in ignem vertitur, ut nonnulli existimant.

XLV.

Elementa porrò sunt duplicia: Tenuia & crassa.

XLVI.

Tenuia sunt, in quibus caliditas resident & levi-

tas

tas, humiditati sociatæ. Ideoque sursum enitun-
tur.

XLVII.

Ejusmodi sunt Ignis & Aër.

XLVIII.

Ignis est Elementum tenue, pellucidum, lucidi-
tatis principium, humidum ac calidissimum.

XLIX.

Luciditatis principium asserimus Ignem: verum
ejus lux non emicat, nisi ignis densiore mole sit cõ-
stipatus.

L.

Nam lux non in tenuissimo, sed in densiore
corpore effulget.

LI.

Hinc qui ad cæli concava interioremq; faciem
ignis obhæret, is perspicuus licet sit, coruscus tamen
non est ac illustris.

LII.

Etenim tenuissimus ille cum sit, lumen evibra-
re non potest, nisi fuerit addensatus.

LIII.

Humidum porrò asseveramus ignem: quia in
humido commoratur calor, & eidem ceu bati inni-
titur.

LIV.

Quapropter essentialis forma ignis in humido
viget.

LV.

Ideoque simplex ignis non concremat aut ab-

B

forbet

forbet suum humidum: Mixtus verò quia id semper
exhaurit ac depopulatur, nutritionem exposcit.

LVI.

Vnde ficcitas Elementarem ignem mixtum in-
sequitur, ut accidentarium quoddam effectum.

LVII.

Dum enim Elementaris calor humidum in mixtis
corporibus sensim consumit ac dissipat, ficcitas e-
mergit, humido illo paulatim absorpto ac concre-
mato.

LVIII.

Deinde Aër est Elementum tenue, transparens
ac humidissimum, ad calorem nonnihil inclinans.

LIX.

Hoc Elementum tenuissimam suam humiditate ita
diffluit, ut omnem ubivis locum expleat, ex quo den-
sius ac spissius corpus secedit & demigrat.

LX.

Ad calorem aër devertit: frigus enim adimeret
ipsi tenuitatem, ejusque levitatem inhiheret, ipso
fortius congelato, aut levius saltem constricto.

LXI.

Quare munere suo perfungi non posset aër.

LXII.

Nam exiles poros tum non trajiceret & perva-
deret: unde neque vacuum exterminaret.

LXIII.

Hoc autem officium natura ipsi demandavit, ut
rimam vacui potissimum expleat.

Dum

LXIV.

Dum enim corpora omnia continuo cohærescunt nexu, aër sæpe se demittit, ac cavernam recens excavatam opplet, ne corpora usquam divellantur.

LXV.

Nullum est Elementum, quod alterationem admittat aëre celeriore.

LXVI.

Vnde ob crebram alterationis vicissitudinē inconstans & vaga ipsius qualitas accidentaria tactu deprehenditur. Essentialem tamen suam qualitatem non excutit, licet ea nonnihil obtundatur.

LXVII.

Crassa Elemēta sunt, in quibus frigiditas exuperat, quæ densitatem ac crassitiem invehit.

LXVIII.

Hujusmodi sunt Aqua & Terra.

LXIX.

Aqua est Elementum humidum ac frigidum, quod in naturali suo situ circundat terram, & ab aëre vicissim obducitur.

LXX.

Terra demùm est Elementum crassum, frigidissimum & siccissimum, quod ob essentialem suam gravitatem, tum in centro Universi naturaliter obhæret, tum ad centrum ubi vis contendit, si ab eo dissociata ac avulsa fuerit.

Corollaria.

I.

Materia prima Peripateticorum est non Ens.

II.

Ideoque nihilo vicinissima.

III.

Quocirca quicquid de materia prima in Lyceo Peripateticorum percrebuit, id omne figmentum redollet.

IIII.

in no
P. pag
contra
Materiae igitur primae nulla est scientia neque doctrina.



99 F 219

ULB Halle
002 039 648

3




Nur für den Lesesaal



99 E 66
617





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

DE ELEMENTIS
PHYSICÆ AC PHI-
LOSOPHICÆ PRO-
POSITIONES.
Quarum patrocinium,
AUSPICE IEHOVA,
IN ILLVSTRI AC CELE-
berrimâ VVitebergensi Academia,
sinceræ veritatis eruendæ stu-
dio suscipiet
M. CHRISTIANVS HASTÆVS
Rintheleusis.
Respondente
STEPHANO MACROPO
Andreæ montano.
Habebitur Disputatio ad diem 20. Octob.
VVITEBERGAE
Descripta typis M. Simonis Gronenbergij, 1593.

2
P. g.
F. i. p.
P. g.
P. g.
P. g.

